kat.komp.
C.R. BIBLIOTHECA UNIVER. JAGELL. CRACOVIENSIS
59520
III Mag. St. Dr.

Kluszczewski Andreae: Quaestio metaphysica de uno transcendentali.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0001742

QVÆSTIO METAPHYSICA,
DE VNO TRANSCENDENTALI,

SVB

Felicissimis Auspicijs

Magnifici, Clarißimi, & Excellentißimi Domini,

D. M. FRANCISCI ROLINSKI,

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris, & Professoris, Consulis, & Studij Almæ Vniuersitatis Cracouiensis,

GENERALIS RECTORIS,

Longè Vigilantißimi;

59520 III

A

M. ANDREA TŁVSZCZEWSKI,

Collega Minore, Seniore Contubernij Iagelloniani,

In Peraugusto

DIVORVM IAGELLONVM

Lyceo;

Publicæ DOCTORVM VIRORVM *Disquisitioni Submissa.*

Anno Salutis Reparatæ, Supra Millesimum Sexcentesimum, Quinquagesimo Octauo.

Mensis Iulij, Die 12.

CRACOVIÆ,

In Officina Viduæ & Hæredum Francisci Cæsarij, S. R. M. Typog.

QVÆSTIO
METAPHYSICA,
DE VNO TRANSCENDENTALI.

V. Vnum quod est proprietas Entis; de ratione formali, præter diuisionis negationem, Entitatem positiuam importans; cuius indiuisio in priuationis potiùs, quàm negationis ratione consistit; multitudini contrariè, simul & priuatiuè, secundum modum quendam oppositum; illud quod dicit positiuum; habeat realiter, vel ex natura rei ab Ente distinctum necne?

CONCLVSIO I.

Vnum est vera & realis Passio Entis.

COROLLARIA.

I. Vnum est de Conceptu Entis implicito.

II. Ens prædicatur formaliter & quidditatiuè de suis Passionibus.

III. Vnum importat negationem diuisionis in plura.

IV. Passio potest includere essentiam à qua dimanat.

V. Esse diuisum ab alio, non est de ratione Vnius; sed ipsum consequitur.

CONCLVSIO II.

Ex quo vnum de formali dicit Ens indiuisum in se, non importat solam indiuisionem.

COROLLARIA.

I. Entitas & indiuisio differunt realiter, non sicut duæ res; sed sicut res & negatio.

II.

II. Vnum addit negationem supra Ens.

III. Ens vt distinguitur ab vno; non est idem sibi ipsi formaliter; sed tantùm fundamentaliter.

IV. Vnius indiuisio, arguit potiùs in eo perfectionem, quàm eandem tollit.

V. Indiuisio quæ est negatio superaddita Enti, non est opposita naturæ Entis.

CONCLVSIO III.

NEgatio reperta in Vno, differt à negatione simpliciter, & magìs trahit se ad negationē priuationis.

COROLLARIA.

I. Vnum definitur per Comparationem ad multitudinem, si consideretur in ordine ad nos: non ad naturam.

II Negatio absolutè sumpta, potest verificari, tam de non Ente, quàm de Ente.

III. Implicat non Ens, posse vlli Enti, vt Ens est conuenire.

IV. Vnitas primò excludit ab Ente diuisionem, quæ est inter Ens, & non Ens; deinde diuisionem inter Entia multitudinem componentia.

V. Negatio quæ est in vno, non potest conuenire non Enti:

CONCLVSIO IV.

VNum & multa sunt opposita, oppositione contrarietatis, includentis aliquem modum, oppositionis Priuatiuæ.

COROLLARIA.

I. Vnum non prædicatur simpliciter de multitudine.

II. Diuisio quæ est in multitudine, respicitur valdè secundariò, à negatione, quæ est in Vno.

III. Sufficit ad rationem contrariorum; quod sint duæ naturæ, sub eodem genere, differentiis specificis adinuicem distinctæ.

IV. Vnum quando consideratur excludens à se, quamcunq; diuisionem, dicit speciem completam oppositam multitudini.

V. Priuatio pura & rigorosa, est negotio formæ in subiecto.

CONCLVSIO V.

POsitiuum quod dicit vnum, non addit aliquid supra Ens, realiter vel ex natura rei, ab eo distinctum.

COROLLARIA.

I. Distinctio rationis inter Ens, & vnum, non arguit compositionem in re vna.

II. Vnum inquantum non continetur in Ente, explicitè, & expressè, ab Ente contradistinguitur.

III. Ens & vnum remoto actu rationis, nullo modo distinguũtur.

IV. Fundamentum distinctionis rationis ratiocinatæ, ex parte obiecti est eminẽtia rei, ex parte intellectus nostri imperfectio inconcipiẽdo.

V. Diuisio & Distinctio quæ negatur in Ente, per vnum, includit ex parte Entis, aliquid positiuum.

In Peraugustum Inclytæ

ACADEMIÆ CRACOVIENSIS

STEMMA.



Bina Iagellonium iactet cur Sceptra Lyceum?
Fors aliud Pallas, Rex aliudque tulit.
Quam benè cum Regum Sceptris stant Sceptra Mineruæ!
Vnde bonum Lechus, nomen & omen habet.